

www.e-rara.ch

**Pavli Iovii Novocomensis Episcopi Nvcerini Elogia Virorum literis
illustrium, quotquot vel nostra vel avorum memoria vixere**

Giovio, Paolo

[Basel], M D LXXVII

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-132417>

M. Ant. Turrianus Veronen.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

nouique lucri inanem spem, astuta chalcographorum persuasione concepisset.
In sepulchro eius tale inscriptum carmen legitur.

Incerti.

*Bernardine tibi Insubres debere fatentur,
Non minus ac magno Roma superba Tito.*

Latomì.

*Scriptisti patriæ: patria & tibi grata rependit
Ad bustum assiduas cum gemitu lachrymas.*

*Indoluit Phæbus, lachrymasque in flumina roris
Et gemitus Zephyros vertit in herbiferos.*

Illa rigant latè terram, terra ebria florum

Gignit opes: circum laurea sylva viret.

In quam dum Zephyri incumbunt, vox redditur ista:

Vive Cori patriæ, viuat ut illa tibi.

M. Ant. Turrianus Veronen.



V A M vides Marci Antonij Turriani Veronensis effigiem, nullis idcirco interlitam picturæ coloribus, sed carbone tantum atque vnis vmbrarum finibus deliniatam, hoc loco dicauimus, quod ille diuino præditus ingenio, dum exactæ ætatis inueteratæque authoritatis medicinæ professores interpretationum subtilitate superaret, prius immiti Fato gymnasijs est ereptus, quam admirandæ vtilitatis exquisitæque doctrinæ inchoata opera absoluerentur. Elaborabat is profitendo simul, atque secando damnatorum cadauera anatome volumen ex placitis Galeni, quo Mundinum rudis seculi scriptorem, & Zerbum in eodem negotio delirantem iugularat. Hic est Zerbus, qui ambitioso auaroque ingenio, quum accitus grandi pecunia penetrasset ad Triballos, ut Schenderbassam recenti & luctuosa in Euganeos irruptione clarissimum intercute morbo liberaret, nec demum quod inflatè promiserat morienti præstaret, à Barbaris feruis, ut domini manibus ea scilicet victima parentarēt, trucidatus interijt: ita ut lepidè Turrianus in eum iocaretur, cum libri eius errata dispungeret, quasi iure concisus esset, quod magna discipulorum iniuria perperam secando cadauera, ipse viuus meritam talionis pœnam subisset. Natus est Turrianus ex ea perillustri familia, quæ ante ducentos annos Insubribus imperarat, patre peracuto excellentique medicinæ professore, ita ut non mirum sit ab ineunte ætate in eadem educatum disciplina, multò maturius quam quisque alius ad primos suggestus honores Patauij & Ticini peruenisse. Præferebat os maxime venustum, serena quadam comitate occurrentium animos alliciens: verum docendo & disputando mirus, prolatis Græcis authoribus, pudendos errores, & vitæ quidem exitiales ostendebat, in quos medici ex herbariæ facultatis ac anatomes inscitia cecidissent. Hoc eximio præceptore in gymnasio Ticinensi studiorum nostrorum vigilias pro concione laudante, de liberalibus disciplinis, atque arte medica lauream, et annulum comprobatae dignitatis ornamenta accepimus.

cepimus. Nec multos post menses quum ad ripam Benaci locus secessisset, pestifera febre triginta trium annorū iuuenis ereptus est, quum Iulius pontifex in pseudo Cardinales, fauentesque eis Gallos victricia arma in luctuosum vtriusque Rauennatis pugnae euentum expediret. Luxere Turrianum cuncta gymnasia, & diuturnis quidem lachrymis. Nemo enim eo in literis absolutae virtutis illustrius specimen, nemo certiore consummatae gloriae spem dederat. Ad meritos autem titulos Veronae nobili tumulto inscriptos, Nicolaus Archius hoc lepidum carmen apposuit.

*Ante annos sciuisse nocet, nam maxima virtus
Persuasit morti, vt crederet esse senem.*

Cæsaris Scaligeri.

*Suada, Venus, Nemesis, Charites, Sapientia, Musæ,
Amplexæ in cunis pectora Turrioli
Prose quisque sibi trahere & contendere: verum
Cum fors, visque simul omnibus æqua foret,
Marte supperueniente, Venus, committimus, inquit,
Vno assensu hominem iudiciumque tibi.
Ille ferox gladium nudans, Hoc vicimus. Aut vos
Hunc mecum; aut totus cesserit ergo mihi.*

Latomì,

*Quam cernis vnīs linearum finibus
Nullo colore præter hanc fuliginem,
Has inter alias dedicatam imagines:
Ad vindicandam mortis est iniuriam,
Ab hoc locata literarum vindice.
Nam Turriani illius est Antonij,
Qui sanitati quum tuenda incumberet,
Et proferenda etatule mortalium
Daret salubria, amoueret noxia
Ætatis ipso, & artis, & conatum,
Morte inuidente, raptus est è carcere:
Metam tametsi iam videret vltimam.
At hæc tua est ô Turriane gloria,
Quòd in theatro solus hoc pulcherrimo
Mortis pudendo cum pudore prodeas.*